LAVRETVM GLORIAE

APIBVS CVLTRICIBVS ARATVM

Eclogæ ad modos muſicos dictæ

EMINENTISS. PRINCIPI

FRANCISCO BARBERINO

S. R. E. CARD. VICECANC.

Inter Philoſophicas diſputationes

FRANCISCI RENGI A S. LEONE

Collegij S. Hieronymi Matthæiorum Alumni

In Collegio Romano Societatis IESV.

ROMAE, Ex Typographia Franciſci Corbelletti. MDCXXXIII.

Superiorum Permiſſu.

EMINENTISSIMO PRINCIPI FRANCISCO CARD. BARBERINO.

FRANCISCVS RENGVS A S. LEONE F.

NON superbierit tantùm terra consularibus, aut regijs aratris olim subacta: quantùm se iactet colonis Apibus, quæ maiestatem regiam mellis dulcitudine temperare nouerunt. neque sane vulgares fruges corporibus solùm procurandis emittet: sed in triumphales lauros progerminabit; idest in gloriæ segetem, qua vnicè nobiliores animi ad immortalitatem sagi-nantur. Lauretum istud vestrum, Eminentiss. Princeps, quod gentilitiæ Apes inhabitant, non alia fuit manu satum & cultum, quàm earumdem Apum. & tres illas Apes, quas ingeniosus artifex insculpsit cum stiua & aratro in gemma, quàm apud te seruas, defossam paulo ante initum ab Vrbano Octauo ter opt. ter max. Pontificatum, in hanc vnam maximè spem laborare crediderim; vt sibi suisque lauream gloriarum domum excitent, noua semper viriditate bene materiatam, numquam ruinosam. Quare publicam nationum omnium gratulationem gloriæ Pontificalis, qua floret Familia Barberina supra mortales ceteros, gloriosissimo eodemque maximè vero elogio potestis excipere. & hæc

noſtra manu ſunt ſata: neque ſanè in Lauretum, ideſt in ædem honoris alia via irrupiſtis, quàm per agrum, ideſt per locum, qui vt ab agendo nomen ſortitus eſt, ita dici mereatur ædes virtutis: in qua multum vos laboraſſe publica teſtificentur munera à Patruo tuo prudenter ac religiosè obita; et legationes à te ſuſceptæ pro pace: & quotidiani labores; quibus Vrbani Octaui ſollicitudini in Reipublicæ Chriſtianæ adminiſtratione ſubſeruis. Sed hæc pertineant ad maieſtatem: facilitatis, quam conciliare maieſtati Apum Regis ſingularis laus eſt, illud ſit; alios & vocis inuitamento, et liberalitate ad eiuſdem agri culturam animare: vt Laureti gloriarum hoſpitio pro dignitate vos illum excipiatis. Ecce triplex mea Philoſophia: rationalis, quæ temoni inſidet operi dirigendo: naturalis, quæ irretitum vinculis multiformem Protheum, corporum phyſicorum in varias ſe ſubinde formas mutantium ſymbolum aptiſſimum, triumphali currui, quaſi deuictum Regem, innectit; & diſciplinarum inferiorum Regina, rerum oculos ac ſenſus fugientium contemplatrix Metaphyſica, hortatu tuo, ſed magis tua ope, atque adeo tuis velut Apibus adiuncta, ingenioli mei agellum per tres annos excoluit: vnde audaciam ſumpſit philoſophicas concluſiones Laureto veſtro affigendi; ex quo, ſi lauream merear, auſpicatò lauream imponi capiti meo, quæ veſtra e. benignitas, & peroptem & ſperem. & ab ipſa ego quoque numquam intermoriente Lauri viriditate capiam exemplum numquam in gratiarum actione areſcendi. Sic Patruum tuum, ſic te ſoſpitet Deus tamdiu, quamdiu Chriſtiana Reſpublica tanto Pontifice, quamdiu litteræ indigebunt iſtius munificentiæ patrocinio.

CON-

OSTENTVM
MELOS PRIMVM.

Menalcas; Mopsus; Mœris; Tytirus; Amyntas;
Cultorum Chorus,

Men. *NAM quis præcipitem furor*
Ruris Iuuentam ruris amorem
Syluarum Latebras abdit in arduas,
Et nemorum virides ferus vrget in arces?
Forte per syluas placet
Ducere sole nouos candidiore choros?
Pedibus procul este profanis,
Et toto sontes absistite luco.
Sacer Tonanti lucus hic est
Colludentibus inuius est.

Chor. *Falleris; aliò vota feruntur*
Aliò mentem duximus omnes.
Non est amor irrequietis
Ire redire rotatibus,
Non placet alternis exagitare pedes;
Agimus alia, petimus alia
Menalca Pater.

Men. *Num tereti circumdare saltus*
Indagine est voluntas?
Sed quid pauor occupet artus;
Quid tremor quid altus horror,
Vt video, cor inquietet?
Non hæc venantis imago,
Non forma, non color is est:
Commune venatoribus nil cum metu.

Chor. *Neque venatus hac duxit amor,*
Aliæ versant animum curæ

Frondentes alius tulit ardor in arces
Menalca Pater.

Man. *Ergo agite, & celeris iuga per nemorosa rotatus*
Causas aperite repostas;
Me, socij, quidem
(Cætera cum pateant)
Hac latet vna rerum,

Chor. *Exhorret animus, refugit, & triumphanti*
Manus timori dat;
Menalca Menalca Menalca
Concidimus perimus;
Tantus exanimat metus.

Men. *Sed quales animos seruatis pectore? Turpe est*
Longe repostis
Formidare periculis.

Mop. *Vidimus: heu cingit dolor vndique & vndique mentem*

Chor. *Quod monst rum vidimus!*

Mœ. *Vidimus: heu rigidus tremor in præcordia sæuit*

Chor. *Quale monstrum vidimus!*

Tit.& Amyn. *Vidimus: heu quondam placitos vita effugit artus.*

Chor. *Quale monstrum vidimus!*

Men. *Rerum cognoscere causas*
Amor est; Amor ille decorus.
Sed quid consilij sit,
Vt in ora redeat vox,
Quam rapuit credita nex:
Rem totam ex vno proderit accipere.
Facilis timorem percipit populus; facit
Quandoque ponendum ad metum
Confertam disiungere turbam.
Ergo age, Amynta,
Qualis sit pauor,
Qui corda premit, quo genua labant,
Pande, si me amaueris.

Amyn. *Dicat Tityrus: est sapientior.*

Tityr. *Mopsus aperiat, qui mage perspicax*

Mop.

Mop. *Monstra Mœris hæc notabit; Mœris innocentior.*
Mœ. *Dicas Amynta; nam generosior.*
Amyn. *Robur non probat arduum*
Fortior æther.
Tityr. *Nec tanti sapientis adoream*
Rerum princeps sapientia pendit.
Mop. *Omnem qui vnus perspicit orbem*
Aciem quanti faciat nostram
Perspicacior æther.
Chor. *Mœri dices; innocentum lucidas morum niues*
Amat æther, colit æther;
Oculoque virginali
Non violandi candida Cœli
Amant ostenta videri.
Mœri quod moraris? Mœ. *Arduum*
Mollibus humeris incumbit onus
Men. *Mœri quo trepides metu?*
Vbique tuta perstat innocentia
Monstrumque monstris est pius vitæ tenor.
Mœ. *Vultis iubetis? Capesso iussa.*
Chor. *Sic nostris monstrum bene vertat agellis.*
Mœ. *Quà largo patet æquore campus*
Et protenditur area
Angusto fine limite,
Celeres ad Vrbem promouebamus gradus,
Cum triplex apparet imago,
Et species Arantum:
Dixisses superum de penetralibus
Delapsas animas; tantus in ore
Lepor & genis venustas,
Quæ præerat labori,
Constrictaque minacior sinistra
Incubabat vomeri,
Olli tergemino stridebat verbere dextra
Et duri vultus; at duro gratia vultu;
Altera quæ seruat fallacem emblemate Protheum

Dextero hærebat iugo:
Tertia, sydereo cui fulgent lumine malæ,
Cœlitis os habitumque gerens iuga temperat sinistra.
Sed quod timendum accedit ad monstrum magis
Mirantibus sulcis nouum
Surgebat segetis genus.
Eminebat alta messis laurearum.
Quis nos circumstetit horror.
Quis metus occupauit
Incogitatos, & rei
Stupore perculsos graui!
Subitò voluntas hæsit animo, concitis
Huc gradibus accedendi, & à dictis tuis
In auspicatum vertere,
Si quid omine tristius illo
Prædiceret æreus æther;
Quid monstra signent illa iam doceas, Pater.

Chor. *Quid illa signent Monstra, Vatum ò optime*
Edoce Vates, animumque sæuis
Eripe curis.

Mœ. *Magna docet cœlum, quis enim non alta putaret*
Docere coelum? sensa non temere tamen
Aperire deceat ætheris: eundum in preces,
Tum ritu patrio responsa feruntur.

CON-

MELOS SECVNDVM.

Menalcas, Chorus,

Men. *IAM se specus bibacibus*
Opponit oculis, & gradus illò rapit:
Properate, comites, omine & læti bono
Horrendis succedite tectis.

Chor. *Properamus omnes, concito omnes impetu*
Omnes antra subire paramus,

Men. *Ante sed longa prece mitiorem*
Induet mentem superatus æther;
Et lacrimosis edomanda votis
Durities olympi,
Si durus est
Qui totus amor est.

Chor. *Celeres superum parere Duce*
Resupinat ardor artus.
Procumbimus, prouoluimur,
Et lacrimandum luctuosa imagine
Coeli negatam regiam serenamus.

Men. *Nunc querulas emittite voces,*
Supplices sonos date.
Aequæuamque Patri Patris imaginem
Vocalibus suspirijs
Conciliate sacris.

Chor. *De liquentis arce Mundi*
Verte vultus recreantes
Oris & risu secundi
Oculos lustra bebetantes.
Syderum Rex,
Vlla si tangit cor
Amoris lex,

Tu Parentis æuiterni
Prima cura, vera proles,
Ignis auctor sempiterni
Fabricasti voce soles:
Quæ tibi sors
Nulla perturbat nex
Aut fera mors.
Tu cadentum vita rerum,
Pater orbis syderalis;
Pulcher artifex dierum,
Flamma terris sospitalis
Aeterna Pax,
Sole pulchrior sol,
Mentium fax.
Ostenti sensus obscuros
Prece supplici vocatus
Pande, & animos securos
Redde pacis fons beatus.
Nempè dum trux
Turbat horrore mens,
Est nulla lux.

Men. *Satis est: in aperta venite*
Celeri comites antra rotatu.
Sed pura mentis cum veste venite.
Si quis turpem referas dextram,
Si cui sonti læua rotatur,
Exesto procul, & penetralibus effuge,

Chor. *Noxa nulla, nulla labes*
Inquietat supplices.

Men. *Quod Romuleis apibus pulchre,*
Quòd bene vertat dominis apibus,
Succedite antro, thure dum gemunt ignes.

VATI-

VATICINATIO

MELOS TERTIVM.

Menalcas; Mopsus; Mœris; Titvrus; Amyntas; Chorus.

Men. *QVIS me calor opprimit arduus,*
Sed premendo amantior
Instillat vitalem ignem, sensumque ministrat?
Deus est. Propiore calescit
Numine pectus.
Agnosco mores, agnosco flammas,
Aestumque beatum.

Mop. *Maior ô quanto trepidis videris*
Oculis Pater Menalca

Mœ. *Quantus æstuat ignis*
Mentis indice vultu.

Tit. *Quantum decus in genis est.*

Amyn. *Quantum instar in ore est,*

Chor. *Quantum decus in genis est,*
Quantum instar in ore est.
In genis est,
In ore est.

Men. *Mortale nil sapit cor.*
Dum per vota secundis
Immortalibus vtitur.
Ergo agite bibulis auribus
Accipite vaticinos sonos.
Placet omina læta recinere
Aperire placet mellea fata,
Tristemque metum,
Sæuasque curas
Formidoloso corde repellere.

Chor. *Faxis Menalca,*
Menalca faxis.

Men. *Barberinas attollit apes*
Mite cœlum:
Omnia Barberinos
Conſpirant in honores.
Nec tam fauos nitentes
Quàm melleos honores
Vrbanæ ſapientiæ
Regiæ condunt Apes.
Id omne portentum docet.
Quæ tergemino verbere Virgo
Incumbebat aratro,.
Logices magna ibat imago.
Quæ Virginali celſæ pudore
Iugum recinctis faſcijs reportabant,
Altera naturæ latebras operoſa repoſtas
Rimatur, rerumque adamat cognoſcere cauſas:
Altera peroſa corporum grauem molem
Sepoſitas animas, hebetataq; corpore nullo
Numina, diſcretaſque operoſo lumine mentes
Inſpicit, & , quantùm licuit mortalibus auſis,
Animo Deum complectitur cœlo haud minor.
Tres adeo, magnum quibus eſt genus æthere ab alto,
Mentis hoſpites Viragines
Eximium decus & noſtri pars optima cordis
Quòd labore continenti
Vertere videritis pulchro ſub vomere terras,
Non alia eſt ab origine factum,
Quàm, ne lateret ſplendidum ruris chorum;
Quibus excolatur optimè mens artibus.

Chor. *O ſi noſtra in mente locarent*
Excolenda Virgines
Cultrices animorum operam, excelſumque laborem

Men. *Quòd ſi ſperata pro meſſe ſuperbior agris*
Viſa laurorum ſeges eminere

Illa

Scindatur ager mentis aratro,
Sophiæ cultum patiens, ſophiæ
Opera expolitus liberali de ſina
Meſſem coronalem daturum,
Et ſegetem bene laureatam.

Chor. *O ſi noſtra in mente locarent*
Excolenda Virgines
Cultrices animorum operam, excelſumque laborem.

Men. *Non tamen, vt meſſis prorumpat laurea, ſat eſt*
Ternis Virginibus mentis agellum
Continenter excoli.
Solis amandus
Proſper eſt ſulgor viuxique vultus
Lux amica, fauſta lux.
Quin melioris lucis origo
Sol expetendus; cum generoſior
Exercetur ager, magnoſque agitatur in vſus.

Chor. *Quis tam ferax erit ſol,*
Quis hic ſol?
Quæ tam candida erit lux,
Hæc quæ lux?

Men. *Dicite, quæ culmen laurorum examine multo*
Obſediſtis apes, & mellea tecta locaſtis.
Vnus inſtar millium
Felix ingeniјs ferax bonorum
Largitor decorum, potens honorum
Sol Barberinus eſt.
Qui ſole Barberino
Mellea ſecutus omina, auſpicia & apum
Dulcia mentem ſedulus ornat,
Et colit, & polit, & ſudoribus irrigat altis,
Ille ſæculis colendam
Laurorum ſegetem metet, ac felicia ſerta.

Chor. *Sol Barberine ſalue;*
Centum in ſæcula ſalue

Viue

Viue centum in sæcula.

Men. *Et decet auſpicijs excultum talibus agrum*
Ferre meſſem lauream.
Nempe ſole laureato
Quis diſſimilem timeat meſſem?
Solis ad ingenium componi debuit ager.

Chor. *O vtinàm noſtri ſolis ad ingenium*
Se componeret orbis
Mellea redirent ſecula, & dies primi.

LAVS DEO.